

LEO XI

PAPA CCXXXIV

Anno Christi MDCV.

Alexander Mediceus electus est in Romanum Pontificem kalendis aprilis anno MDCV, et Leonis XI nomen assumpsit. Quinto autem kalendas maias defunctus, septimo supra vicesimum Pontificatus sui die, imperante Rodulpho II, sepultus est ad sanctum Petrum. Vacavit Sedes dies XVIII.

1.

Declarat per saecularizationem ecclesiae S. Vincentii de Cardona, Ordinis Canoniorum S. Augustini Urgellensis dioecesis, nullum praeiudicium illatum fuisse abbati, quoad iurisdictionem civilem et criminalem super canonicos eiusdem ecclesiae et collegiatae S. Iacobi de Calaff Vicensis dioecesis.

Leo Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ius suum unicuique conservare tenemur, et ad hunc effectum dubia quae-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

cumque, quae ex concessionibus et gratiis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanatis oriri possunt, ne inde lites postea inter ecclesiasticas praesertim personas oriantur, opportunam declaratione e medio tollere curamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§ 1. Cum itaque alias felicitis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici supplicationibus adductus, monasteria, dignitates et beneficia Ordinis canonicorum regularium sancti Augustini in principatu Catholoniae et comitatu Rossilionis et Ceritaniae existentia, ex causis tunc expressis, Ordine praedicto in illis perpetuo suppresso et extincto, ad saecularitatem in omnibus et per omnia et quoad omnia perpetuo reducerit, et deinde aliqua ex eisdem monasteriis (et praesertim ecclesiam, olim monasterium, sancti Vincentii oppidi de Cardona Urgellensis dioecesis) in collegiatas insignes creverit, prout in diversis eiusdem Clementis litteris desuper expeditis plenius continetur¹:

¹ Innuitur praecipue Const. xxvii Clem. VIII sub data 13 aug. an. 1592, quam videre est in tom. IX h. n. edit. pag. 580 (n. r.).

Clemens VIII saecularizationem ecclesiam sancti Vincentii de Cardona in collegiatalem prexit.

Abbas sancti Vincentii antea iurisdictionem civilem et criminalem exercebat super canonicos huius ecclesiae et sancti Iacobi de Calaff.

§ 2. Cumque, sicut accepimus, abbas eiusdem collegiatae ecclesiae, ab immemorabili tempore citra, habuerit et exercuerit iurisdictionem civilem et criminalem, etiam in criminibus extra regulam, tam in canonicos eiusdem ecclesiae, quam etiam in priorem et canonicos saecularis et collegiatae, olim etiam regularis dicti Ordinis, ecclesiae sancti Iacobi oppidi de Calaff Vicensis dioecesis, quae membrum et dependens ab ipsa ecclesia collegiata sancti Vincentii de Cardona existit, ac praedicti prior et canonici ecclesiae sancti Iacobi de Calaff praedicto abbati sancti Vincentii de Cardona canonicam obedientiam praestare soliti sint, et de hoc post reductionem ad saecularitatem earumdem ecclesiarum in possessione dictus abbas reperitur;

Episcopi hanc iurisdictionem ad se devolutam asserebant.

§ 3. Verum (quia venerabiles fratres Urgellensis et Vicensis episcopi praetendunt quod, post reductionem ad saecularitatem earumdem ecclesiarum, iurdictio supradicta in easdem ecclesias ac priorem et canonicos ad eos respective pertineat; quam tamen numquam antea habuerunt, sed solum ius visitandi ecclesias praedictas, quae etiam parochiales existunt, habuerunt) dubitandum sit, ne aliquae lites et differentiae super praemissis inter praedictos episcopos ex una et abbatem praedictum ex altera partibus oriantur, seu iam forsitan subortae extiterint;

Leo abbatem adiudicat.

§ 4. Nos omnem controversiarum occasionem inter ecclesiasticas personas praecidere, et iura sua unicuique conservare volentes, ac litterarum praedictarum eiusdem praedecessoris tenorem praesentibus pro expresso habentes, et dilectum filium Franciscum Ferran, modernum abbatem dictae ecclesiae sancti Vincentii de Cardona, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis

et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus, prout alias saepe ipsum Clementem praedecessorem declarasse accepimus, ipsius Clementis praedecessoris intentionis numquam fuisse, per reductionem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et beneficiorum Ordinis et Principatus praedictorum ad saecularitatem, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis, iurisdictiones, praerogativas, praeeminentias, privilegia, aliaque iura et concessionem auferre, sed regularitatem tantum in eis supprimere, illaque ad saecularitatem huiusmodi reducere, salvis semper in suo robore permanentibus iurisdictionibus, praerogativis, praeeminentis, privilegiis et aliis supradictis, et sic etiam eiusdem mentis et intentionis non fuisse, per reductionem ad saecularitatem dictarum collegiatarum ecclesiarum sancti Vincentii de Cardona et sancti Iacobi de Calaff, in aliquo praeiudicare iurisdictioni civili et criminali supradictae, quam dictus abbas ecclesiae sancti Vincentii de Cardona, tam in eiusdem ecclesiae canonicos, quam priorem et canonicos ecclesiae sancti Iacobi de Calaff, antea, ut praefertur, habebat, sed huiusmodi iurisdictionem eidem abbati ut antea salvam et illaesam remansisse et remanere, ac tam praedictum Franciscum modernum, quam pro tempore existentem abbatem sancti Vincentii de Cardona super huiusmodi iurisdictione et illius libero exercitio per dictos episcopos Urgellensem et Vicensem aut quoscumque

alios, quovis praetextu, causâ et occasione impediri, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse;

Clausulae.

§ 5. Praesentesque litteras, etiam ex eo quod dicti episcopi, seu alii quicumque in praemissis ius habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, et ex quavis aliâ causâ, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quocumque defectu notari, impugnari aut infringi, retractari, invalidari vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus; et quatenus aliqua lis super praemissis inter episcopos et abbatem praedictos hactenus orta fuerit, illam ad nos harum serie avocamus, ac penitus extinguimus, perpetuumque partibus ipsis desuper silentium imponimus.

Executores deputati.

§ 6. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio, et abbati beatae Mariae del Real Elnensis dioecesis nunc et pro tempore existenti, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Francisci abbatis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique in praemissis efficaciae defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illum praemissorum omnium et singulorum ef-

fectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illum desuper per dictos episcopos Urgellensem et Vicensem aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 7. Non obstantibus felicitis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die xv aprilis mdcv, pontif. nostri anno 1.

Dat. die 15 aprilis 1605, pontif. an. 1.

II.

Declarat per saecularizationem prioratus beatae Mariae de Cornella, Ordinis canonicorum regularium S. Augustini Elnensis dioecesis, nullum praecidium illatum fuisse priori eiusdem ecclesiae super collatione canonicatum.

Leo Papa XI,

ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis nostri muneris ratio exposcit ut, ad pacem et quietem inter ecclesiasticas personas, praesertim pontificali et aliâ dignitate praeditas, conservandam, ea quae per Apostolicam Sedem statuta et ordinata fuerunt, ex quorum dubiâ

Proemium.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

interpretatione tranquillitatis et quietis effectus turbari possit, nostrae declarationis ministerio dilucidemus, prout in Domino salubriter conspiciamus expedire.

Post suppressionem in ecclesia de Cornella regularitatem canonicatus conferri solebant a priore.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Hyppoliti Frigola prioris collegiatae ecclesiae beatae Mariae de Cornella Elnensis dioecesis, quod ipsa ecclesia (antequam felicitis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster ad supplicationem clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici Ordinem canonicorum regularium sancti Augustini in ecclesiis et monasteriis tunc eiusdem Ordinis principatus Cathaloniae illiusque statum et essentiam regularem ex eisdem ecclesiis et monasteriis perpetuo suppresserit et extinxerit, ipsasque ecclesias et monasteria ad statum et essentiam saecularem reducerit, prout in ipsius praedecessoris desuper expeditis litteris plenius continetur) Ordinis praedicti existebat, et, occurrente vacatione canonicatum et praebendarum et aliorum officiorum dictae collegiatae ecclesiae, semper ab immemorabili tempore citra, salvis tamen reservationibus et affectionibus apostolicis, a priore dictae collegiatae ecclesiae pro tempore existente de illis disponi consueverit;

Asserere vero episcopo ad se in suis mensibus illorum collationem pertinere, prior pontificiam declarationem petit interpretari.

§ 2. Nunc vero, post reductionem ad saecularitatem huiusmodi, venerabilis frater episcopus Elnensis praetendat collationem illorum in mensibus Ordinarii ad se spectare, et propterea facile evenire possit ut aliqua exinde controversia inter ipsum episcopum Elnensem et praedictum priorem suboriatur. Idecirco dictus Hyppolitus modernus prior nobis humiliter supplicari fecit, ut super hoc de opportuna declarationis remedio providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Leo declarat,

§ 3. Nos igitur omnem controversiae

1 Vide Const. xxvii Clemens VIII iam paulo ante citatam in nota ad pag. 182 (n. r.).

Bull. Rom. — Vol. XI.

24

occasionem inter ecclesiasticas personas e medio tollere, ac ius suum unicuique conservare volentes, praedictarum litterarum Clementis praedecessoris tenorem praesentibus pro expresso habentes, ipsumque Hyppolitum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus, prout etiam aliâs ipsum Clementem praedecessorem declarasse accepimus, ipsius Clementis praedecessoris intentionis numquam fuisse, per reductionem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et beneficiorum Ordinis et principatus praedictorum ad saecularitatem, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis, iurisdictiones, praerogativas, praeminentias, privilegia aliaque iura et concessionem auferre, sed regularitatem tantum in eis suppressere, illaque ad saecularitatem huiusmodi reducere; salvis semper in suo robore permanentibus iurisdictionibus, praerogativis, praeminentiis, privilegiis et aliis supradictis: sic etiam mentis et intentionis Clementis praedecessoris non fuisse, per reductionem ad saecularitatem dictae collegiatae ecclesiae, in aliquo praecidicare iuri conferendi, quod ante dictam reductionem ad praedictum priorem legitime spectabat.

Clementis intentionis fuisse nâmini praecidicare in iure conferendi beneficia, etc.

Clausulae.

§ 4. Decernentes propterea dictum Hyppolitum modernum et pro tempore existentem priorem dictae collegiatae ecclesiae per dictum episcopum Elnensem, seu quoscumque alios, praemissorum occasione molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, praesentesque litteras, etiam

ex eo quod dictus episcopus, seu alii quicumque in praemissis ius habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, et ex quavis aliâ causâ, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, aut infringi, retractari, invalidari, vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum designatio.

§ 5. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, necnon abbati beatæ Mariæ del Real eiusdem Elnensis dioecesis nunc et pro tempore existenti, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Hyppoliti moderni et pro tempore existentis dictae collegiatae ecclesiae prioris fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique in praemissis efficaciae defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illum praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illum desuper per dictum episcopum Elnensem aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compe-

scendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xvi aprilis mdcv pontificatus nostri anno i.

Dat. die 16 aprilis 1605, an. pont. i.

III.

Similis declaratio super iurisdictione civili et criminali eidem priori collegiatae ecclesiae beatæ Mariæ de Cornella in canonicos praedictae ecclesiae competente¹.

Leo Papa XI,

ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ius suum unicuique conservare tenemur, et ad hunc effectum dubia quaecumque, quae ex concessionibus et gratiis a Sede Apostolicâ emanatis oriri possunt, ne inde lites postea inter ecclesiasticas praesertim personas oriantur, opportunâ declaratione e medio tollere curamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

§ 1. Cum itaque aliâs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici supplicationibus adductus, monasteria, dignitates et beneficia Ordinis canonicorum regula-

¹ Ex Regest. in Secret. Brevium.

Derogatio contrariorum.

Exordium.

Secularizationem ecclesiae de Cornella a Clemente VIII factam recenset.

rium sancti Augustini in principatu Cathaloniae et comitatu Rossilionis et Ceritaniae existentia, ex causis tunc expressis, Ordine praedicto in illis perpetuo suppresso et extincto, ad saecularitatem in omnibus et per omnia et quoad omnia perpetuo reduxerit, et deinde aliqua ex eisdem monasteriis in collegiatas insignes erexerit, prout in diversis ipsius praedecessoris litteris desuper expeditis plenius continetur¹;

Priorem in possessione fuisse iurisdictionem civilem et criminalem super canonicos exercendi.

§ 2. Cumque, sicut accepimus, prior collegiatae ecclesiae beatæ Mariæ de Cornella Elnensis dioecesis, ab immemorabili tempore citra, habuerit et exercuerit iurisdictionem civilem et criminalem, etiam in criminibus extra regulam, in canonicos eiusdem ecclesiae, qui praedicto priori canonicam obedientiam praestare soliti sint², et de hoc post reductionem ad saecularitatem eiusdem ecclesiae in possessione dictus prior reperiatur;

Episcopum vero Elnensem illam sibi vindicare.

§ 3. Verum (quia venerabilis frater episcopus Elnensis praetendit, quod, post reductionem ad saecularitatem dictae ecclesiae, iurdictio supradicta in eandem ecclesiam eiusque canonicos ad ipsum pertineat; quam tamen nunquam antea habuit, sed solum ius visitandi ecclesiam praedictam, quae etiam parochialis existit, habuit) dubitandum sit, ne aliqua lites et differentiae super praenissis inter dictum episcopum ex unâ et priorem praedictum ex alterâ partibus oriantur, seu iam forsitan subortae extiterint:

Declaratio de qua in rubrica.

§ 4. Nos, omnem controversiarum occasionem inter ecclesiasticas personas praecidere et iura sua unicuique conservare volentes, ac litterarum suarum praedictarum tenorem praesentibus pro expresso

¹ Vide eandem Clem. VIII Const. quam innuimus supra pag. 182 (n. T).

² Sic legitur in edit. Main.; nisi aliqua desint supplenda ex similis formae Const. I ipsius Leonis XI supra relata pag. 183 (n. T.).

habentes, et dilectum filium Hyppolitum Frigolam modernum dictae ecclesiae de Cornella priorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium declaramus, prout aliâs saepedictum Clementem praedecessorem declarasse accepimus, eiusdem Clementis praedecessoris intentionis numquam fuisse aut esse, per reductionem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, et beneficiorum Ordinis et principatus praedictorum ad saecularitatem, ab eisdem ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis, iurisdictiones, praerogativas, praecipientias, privilegia, aliaque iura et concessionem auferre, sed regularitatem tantum in eis suppressam, illaque ad saecularitatem huiusmodi reducere, salvis semper in suo robore permanentibus iurisdictionibus, praerogativis, praecipientiis, privilegiis et aliis supradictis; et sic etiam dictae mentis et intentionis non fuisse, per reductionem ad saecularitatem dictae ecclesiae beatæ Mariæ de Cornella, in aliquo praedictae iurisdictioni civili et criminali supradictae, quam dictus prior ecclesiae beatæ Mariæ de Cornella in eiusdem ecclesiae canonicos antea, ut praefertur, habebat, sed huiusmodi iurisdictionem eidem priori, ut antea, salvam et illaesam remansisse et remanere, ac tam praedictum Hyppolitum modernum, quam pro tempore existentem priorem dictae ecclesiae beatæ Mariæ de Cornella super huiusmodi iurisdictionem

ctione et illius libero exercitio per dictum episcopum Elnensem, aut quoscumque alios, quovis praetextu, causâ et occasione impediri, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse;

§ 5. Praesentesque litteras, etiam ex eo quod dictus episcopus, aut alii quicumque in praemissis ius habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, et ex quavis aliâ causâ, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, aut infringi, retractari, invalidari, vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari nullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus; et quatenus aliqua lis super praemissis inter episcopum et priorem praedictos hactenus orta fuerit, illam ad nos harum serie avocamus, ac penitus extinguimus, perpetuumque partibus ipsis desuper silentium imponimus.

§ 6. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, et abbati beatae Mariae del Real eiusdem dioecesis nunc et pro tempore existenti, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Hyppoliti prioris fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique in praemissis efficacis defensionis praesidio as-

sistentes, faciant auctoritate nostrâ illum praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illum desuper per dictum episcopum Elnensem aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII predecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die XVIII aprilis MDCV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 aprilis 1605, pontif. anno I.

IV.

Avocatio et extinctio litium pendentium inter capitula et clerum regnorum Hispaniarum et Societatem Iesu super solutione decimarum parochialibus aliisque ecclesiis de iure debitarum, cum declaratione quod PP. dictae Societatis, loco decimae, vigesimam pro bonis acquisitis, pro bonis tamen deinceps emptionis titulo acquirendis integram decimam solvere debeant¹.

Leo Papa XI,
ad perpetuam rei memoriam.

Impositi nobis apostolici muneris de-

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

Derogatio contrariarum.

Prooemium.

bitum exposcit, ut in his nostrae auctoritatis partes libenter interponamus, per quae, differentiis et controversiis inter ecclesiasticas personas vigentibus e medio sublatis, earum quieti opportune consulamus.

Paulus III Societati Iesu a cuiuscumque oneris solutione libera declaravit, ab ea decimas non esse solendas, nisi in litteris impositionis decimarum huiusmodi expressa de ipsa Societate mentio fieret.

§ 1. Cum itaque aliâs felicis recordationis Paulus Papa III praedecessor noster Societati Iesu, ab ipso institutae et approbatae, eiusque sociis inter alia concesserit, ut de eis, quae in ornamentis, aut pro victu et indumentis eorum, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliqua domus Societatis praedictae obligatae forsitan existebant, ac de domibus et collegiis, et eorum praediis, hortis, aliisque locis eisdem sociis haberi concessis, aut de his, quae sibi pro huiusmodi rebus, domibus, collegiis, locis et hortis emendis, per quas-cumque personas pro tempore legari aut relinqui contigisset, et aliis bonis quibuscumque per dictam Societatem et ipsius collegia possessis et obtentis, aliquam decimam etiam papalem solvere, seu canonicam portionem exhibere, seu ad praestationem procurationum legatorum praedictae Sedis vel nunciorum ipsius, aut Ordinariorum locorum, et exactionem collectarum, seu subsidiorum vel provisionum quorumcumque minime tenerentur, nec ad id per litteras eiusdem Sedis, aut legatorum, vel nunciorum, seu dioecesanorum praedictorum, cuiuscumque tenoris forent, ullo umquam tempore compelli possent, nisi ipsae litterae apostolicae plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto et concessione huiusmodi, ac de eorum Ordine mentionem fecissent; et, si forte per ipsum Paulum praedecessorem vel dictam Sedem de piis legatis dispositis et relictis, in genere vel in specie, decima, vel alia portio, seu quarta alteri pia vel non pia causa quomo-

dolibet eatenus concessae fuissent¹, vel illam imposterum concedi seu solvi, aut dari, mandari contigisset, socios dictae Societatis, ac illorum domos et bona quaecumque, et eis legata et relicta, aut aliâs in eorum favorem disposita, in concessionibus et mandatis huiusmodi minime comprehendere decreverit et voluerit, nisi de ipsis, ac praedicto decreto et voluntate, non per clausulas generales idem importantes, sed vera et expressa atque specifica mentio fieret in eisdem, et aliâs prout in litteris apostolicis eiusdem Pauli praedecessoris sub datum anno Incarnationis Dominicae MDXLIX, decimo quinto kalendas novembris pontificatus sui anno xv expeditis²:

§ 2. Cumque deinde, recolendae memoriae Pio Papae IV pro parte praepositi generalis et universae Societatis praedictae exposito, quod quamvis dictus Paulus praedecessor eandem Societatem, eiusque personas a decimarum et aliarum quarumcumque impositionum solutione exemptisset, quia tamen id disertis verbis non videbatur explicatum, nec non in exemptione illis concessâ huiusmodi de domibus probationis et collegiis eiusdem Societatis, non tamen professorum domibus, quae iuxta regularia illius instituta bona stabilia habent, aut habere possunt, specialis mentio facta fuerat, molestiam ipsis inferri, ac domos probationis et collegia ipsius Societatis super exemptione huiusmodi perturbari posse, tempore procedente, timebant; idcirco supplicationibus praepositi generalis et Societatis praedictorum inclinatus, privilegia et exemptionem, et, cum omnibus et singulis in eis

¹ Vel legendum concessa fuisset, vel postea illas non illam legendum videtur (R. T.).

² Litterae Pauli III de Societate Iesu sub praedictâ datâ leguntur in Bull., tom. VI, h. n. edit., pag. 394, et huiusmodi exemptiones continentur ibid. § 22 (R. T.).

Pius IV in huiusmodi exemptione domos probationis et collegia comprehendit declaravit.

Clausulae.

Exequutorum deputatio.

contentis clausulis, litteras Pauli praedecessoris praedictas, et illarum vigore domos et collegia eiusdem Societatis ubilibet constituta, et inde sequuta quaecumque iuxta tenorem litterarum earumdem, apostolicâ auctoritate ex certâ scientiâ confirmaverit et approbaverit, ac etiam plenarie innovaverit, et de novo, quatenus opus esset concesserit, nec non illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiecerit, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsân intervenissent, in eisdem suppleverit¹;

Et de novo Societatem eiusque bona omnia exempta esse voluit.

§ 3. Et nihilominus, pro potiori cautelâ, universam Societatem, omniaque et singula illius domos probationis et collegia ubilibet existentia, praesentia et futura, eorumque personas, fructus, redditus, proventus et honorum ecclesiasticorum saecularium et regularium quorumcumque illis pro tempore unitorum, aliaque res et bona quaecumque a quibusvis decimis, etiam papalibus, praedialibus, personalibus, quartis, medietatibus et aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriae et aliis quibuscumque, etiam ad imperatorum, regum, ducum et aliorum principum instantiam pro tempore impositis, etiamsi quod² in illorum impositione caveretur, quod nulla prorsus exemptio cuique adversus illa suffragetur (ita quod Societas eiusque domus, collegia, fructus, res et bona praedicta semper ab illis, absque declaratione desuper faciendâ exempta essent et esse censerentur), perpetuo liberaverit et exemerit, ac alia fecerit, prout in eiusdem Pii praedecessoris in formâ Brevis litteris sub datum die XIX augusti MDLXI pontificatus sui anno II³;

¹ Pii IV litterae praecitatae exulant in *Bullario* (R. T.).

² Vox ista quod superflua videtur (R. T.).

³ Hae litterae, sive sint eadem cum citatis in § praec. sive diversae, non leg. in *Bull.* (R. T.).

§ 4. Et cum demum, piae memoriae Gregorio Papae XIII, etiam praedecessori nostro, pro parte tunc existentis praepositi generalis eiusdem Societatis Iesu pariter exposito, quod, licet praedictus Paulus III praedecessor, volens dictam Societatem per eum apostolicâ auctoritate institutam et approbatam illiusque socios favore prosequi gratiae specialis, inter alia eidem Societati et sociis supramemoratam exemptionem a decimis concessisset et indulgisset, et successive Pius IV litteras ipsius Pauli III, ut supra dictum est, confirmasset et approbasset et alia concessisset, prout in singulis supradictis Pauli et Pii praedecessorum litteris plenius continebatur; nihilominus, quia in illis nulla de Constitutione recolendae memoriae Innocentii Papae III, similiter praedecessoris nostri, in concilio generali super decimis editâ, quae incipit *Nuper*¹, expressa et specifica mentio facta nec ei specialiter et expresse derogatum fuerat, idem praepositus dubitabat singulas litteras praedictas de subreptionis seu nullitatis vitio notari, et Societati illiusque domibus, collegiis et personis praedictis minus utiles reddi, aut illa super exemptione huiusmodi molestari vel perturbari posse tempore procedente; idem Gregorius praedecessor, quarumcumque litium et causarum super praemissis iam forsân motarum statum et merita, ac nomina et cognomina iudicum et colligantium, ac titulos et iura eorum pro expressis habens, et ipsius praepositi generalis supplicationibus eâ in parte inclinatus, voluerit, ac Societati illiusque domibus, etiam probationum, collegiis et personis praedictis auctoritate apostolicâ concesserit, quod singulae litterae praedictae cum exemptionibus caeterisque omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, pro-

Hac de causa Greg. XIII constitutioni Innocent. III plenissime derogavit.

¹ Huiusmodi Innoc. III Const. non est in *Bullario* (R. T.).

cessusque habiti per eosdem, et inde sequuta quaecumque valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent, ac eis, quibus concessa existebant, perpetuo suffragarentur in omnibus et per omnia, perinde ac si in illis de Constitutione Innocentii praedecessoris, et seu concilii generalis huiusmodi specifica et expressa mentio facta, eique specialiter et expresse derogatum fuisset, prout idem Gregorius praedecessor dictae Constitutioni ad effectum praemissum specialiter et expresse derogavit, decernens ita in quibuscumque causis pendentibus et futuris per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigisset attentari, et aliâs prout in eiusdem quoque Gregorii praedecessoris in formâ Brevis sub datum die I ianuarii MDLXXVIII pontificatus sui anno VI expeditis litteris plenius continetur¹;

Orta lamen lis est inter eandem Societatem et praesules regnorum Castellae et Legionis super decimis parochiis solvendis.

§ 5. Cumque, sicut accepimus (ex eo quod occasione praedictorum privilegiorum religiosi dictae Societatis se eorumque domos, etiam probationum, collegia et loca ac praedia, res et bona quaecumque a solutione etiam decimarum, quae parochialibus et aliis ecclesiis de iure vel consuetudine, seu quovis alio titulo vel causâ debentur, exemptos esse, contra vero metropolitanarum et cathedralium, ac aliarum ecclesiarum archiepiscopi, episcopi et alii praesules, venerabiles fratres, et capitula et parochialium ecclesiarum rectores regnorum Castellae et Legionis, dilecti filii, ipsos religiosos Societatis Iesu tali exemptione in maximum illorum praerudicium abuti praetendunt), inter illos dudum super hoc diversae lites seu controversiae ortae, et in causâ seu cau-

¹ Vide Greg. XIII Const. LXXVII in *Bullario*, tom. VIII, h. n. edit., pag. 198 (R. T.).

sis huiusmodi ad aliquos actus deventum fuerit, et licet demum de ineundâ inter ipsas partes aliquâ concordia tractatum, et in congregatione generali capitulorum totius cleri dictorum regnorum in civitate Vallisoletanâ de anno MDCII habitâ diversae propositiones hinc inde inter ipsas partes ad effectum huiusmodi concordiam ineundi factae fuissent, nihilominus aliquid conclusum non extiterit, sed utraque pars negotium istud ad Romanum Pontificem remisit:

§ 6. Nos, qui inter ecclesiasticas personas pacem et quietem perpetuo vigere et conservari sincero desideramus affectu, remissionem huiusmodi acceptantes negotium huiusmodi, iussu felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri mature discussum et examinatum, pro aequitate terminare, ac omnem ulterioris controversiae et discordiae inter dictas partes occasionem praecidere statuimus. Ideirco singularum Pauli, Pii et Gregorii praedecessorum, et aliarum quarumcumque in favorem praedictae Societatis super huiusmodi exemptione expeditarum litterarum veriores et totos tenores et datas praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, nec non quascumque lites et causas praemissorum occasione hactenus inter venerabiles fratres archiepiscopos, episcopos et alios praesules fratres nostros, et quasvis metropolitanas, cathedrales, collegiatas, parochiales et alias ecclesias, earumque capitula, collegia, rectores et alias ecclesiasticas personas dictorum regnorum ex unâ, et dictam Societatem et quasvis illius domos, etiam probationis et alia loca quaecumque ex alterâ partibus, coram quibuscumque iudicibus, etiam nostri sacri Palatii Apostolici Rotae auditoribus, ac etiam S. R. E. cardinalibus, et in quacumque instantiâ, tam

Leo huiusmodi litem ad se advocans et partibus silentium imponens.

coniunctim quam divisim, pendentes, quarum status et merita, ac nomina et cognomina iudicum et colligantium, praesentibus similiter pro expressis haberi volumus, in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, ad nos harum serie revocantes, illasque penitus extinguentes, et quascumque sententias litteras exequutoriales ad favorem Societatis, seu illius domorum seu collegiorum, aut alicuius illorum quomodolibet latas et relaxatas, et etiam forsitan exequulas, et alias quascumque provisiones quomodolibet et quodcumque ad earundem favorem expeditas revocantes et ad praesentium praescriptum reducunt, ac perpetuum partibus ipsis super praemissis omnibus et singulis silentium imponentes, salvis tamen quibuscumque concordii seu transactionibus inter partes initis, quas in suo robore remanere volumus;

Declarat ibidem solvendam esse vigesimam pro bonis quae actu eadem Societas possidet;

§ 7. Motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie perpetuo statuimus, decernimus et ordinamus, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus praedicta Societas, et illius domus etiam probationum, atque collegia et loca quaecumque ubivis locorum in praedictis regnis Castellae et Legionis existentia, ratione praediorum, possessionum, vinearum, olivorum, terrarum, hortorum et bonorum quorumcumque, quae nunc possident quomodocumque et undecumque ad eos perventa, aut per eos acquisita fuerint, et etiam eorum, quae imposterum perpetuis futuris temporibus ex novis domorum seu collegiorum foundationibus, aut aliis largitionibus, donationibus, legatis, testamentis, codicillis, seu ultimis voluntatibus dumtaxat acquirant, et non solum eorum quae locare et arrendare solent, sed etiam eorum quae per proprios colonos ac propriis quoque ma-

nibus excolunt, loco decimae vigesimam scilicet) ex singulis viginti unum eorum fructuum cuiuscumque generis et speciei, quos in illis colligunt, necnon pecorum et aliorum animalium quae in illis enutrient, piscationum, avium, aliarumque rerum et specierum, de quibus de iure vel consuetudine decimari solet ecclesiis, quibus alioquin circumscriptis dictis privilegiis decima persolvi deberet) persolvere teneantur et obligati existant;

§ 8. Et quia evenire poterit, ut religiosi dictae Societatis alia praedia, possessiones, terras et bona emptionis titulo imposterum acquirant, aut praedia, terras et bona extraneorum excolant, vel per eorum colonos excoli faciant: nos, ne super bonis imposterum acquirendis aut excolendis huiusmodi, et aliis supra deductis, nova controversia deinceps oriatur, declaramus et pariter statuimus ac ordinamus, quod, ratione eorum praediorum, possessionum, terrarum et bonorum, quae emptionis titulo acquirant, aut quae titulo locationis ab aliis conduxerint, ipsi colant aut colli faciant, non vigesimam, sed integram decimam iis ecclesiis, quibus, et prout, antequam ipsi religiosi illa tenerent, debebatur, pariter solvere teneantur et obligati existant.

§ 9. Ab huiusmodi autem vigesimae seu decimae solutione hortos seu viridaria, quae apud eorum domos seu collegia intra civitates et oppida habuerint, nec non etiam unum tantum praediolum in agro pro unaquaque domo seu collegio, quod tamen muris circumdatum sit, et quatuor fanegarum illarum partium mensuram non excedat, exempta esse volumus et ordinamus.

§ 10. Decernentes ipsos Societatis Iesu religiosos ad mediae decimae, seu vigesimae, et integrae decimae huiusmodi respective solutionem faciendam de caetero tamen teneri, et ad id censuris et

Decimam vero pro bonis, quae imposterum ementur per ipsam, vel locantur.

Nonnulla tamen viridaria, hortosque ab huiusmodi solutione exempti.

Ad statutas solutiones Societatem compelli posse declarat.

poenis ecclesiasticis, aliisque opportunis iuris et facti remediis, aequae ac non exemptos cogi et compelli posse, neque ab huiusmodi mediae decimae, seu vigesimae, vel integrae decimae solutione, praedictarum Pauli, Pii et Gregorii, aut aliorum Pontificum praedecessorum litterarum, aut alio quovis praetextu, causa vel occasione resilire, vel deficere ullaatenus posse; ipsos vero archiepiscopos, episcopos, ac praesules, et capitula, et rectores ecclesiarum praedictarum, et alias personas ecclesiasticas, quibus huiusmodi mediae et integrae decimae respective debebuntur, earum solutione, prout a nobis, ut praefertur, statutum est, contentos esse debere;

Clausulas apostolicas.

§ 11. Praesentes quoque litteras, ex eo quod partes ipsae praemissis non consenserint, aut alio quovis praetextu, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut infringi, suspendi, limitari, retractari, revocari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari nullatenus posse, sed semper, ac perpetuo validas et efficaces existere ac fore, ac illis omnibus et singulis, quos concernunt, plenissime suffragari, ac ab illis respective observari debere: sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis Apostolicae nuncios (sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designat.

§ 12. Quocirca venerabili fratri ar-

chiepiscopo Toletano, ac dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte tam Societatis, quam capitulorum et aliorum praedictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos et eorum singulos eorundem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos aut aliquos eorum desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoscumque ac praemissis non parentes, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes, per censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 13. Non obstantibus praedictis Pauli, Pii, Gregorii et aliorum Pontificum praedecessorum litteris, ac similis memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostris de una, et in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac regulis cancellariae nostrae, et praesertim de iure quaesito non tollendo, necnon tam ipsius Societatis, quam quarumcumque ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium,

Obstantibus...

collegiatarum, parochialium, et aliarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis, etiam in formâ Brevis, tam per nos, quam quosvis praedecessores nostros, ac etiam dictae Sedis legatos, etiam ad quorumvis imperatorum, regum, ducum instantiam, aut etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut etiam consistorialiter, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui, quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiam Mari Magno, Bullâ aureâ, aut aliâs nuncupatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur,

praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus¹, contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§ 14. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die xxiii aprilis mdcv, pontificatus nostri anno i.

Dat. die 23 aprilis 1605, pontif. an. i.

¹ Iam supra monuimus pag. 137 b vocem *caeterisque*, vel particulam *et*, quae ad minus requisita videretur, communiter deesse quando sequitur formula *aut si*, etc.; sed utrum ex defectu typ. desit, an de stylo, non constat. In seqq. Const. pluries illam vocem reperimus adiectam, etiam sequente formulâ *aut si*, etc.; sed deinceps, vel adsit, vel desit, referemus simpliciter edit. Main. absque ullâ novâ adnotatione (n. r).

Transumptis
fidem vult ad
hiberi.

PAULUS V

PAPA CCXXXV

Anno Christi MDCV.

Duodevicesimo post Leonis XI mortem die electus est in summum Pontificem Camillus sanctae Romanae Ecclesiae, tituli sancti Chrysogoni, presbyter cardinalis Burghesius, qui Paulus V voluit appellari. Sacrâ redimitus thiarâ die xxviii maii, sedit annos xv, menses viii, dies xiiii temporibus Rodulphi II imperatoris. Vitâ functus die xxviii ianuarii anno mdcxxi, sepultus est ad sanctum Petrum. Corpus postea translatum fuit ad Basilicam Libermanam, conditumque in sacello, quod vivens erexerat. Vacavit Sedes dies xi.

1.

Litterae in forma Provisionis Nostrae, quibus confirmantur aliae similes Clementis VIII super facultate metropolitanae Ruthenorum concessâ instituendi et consecrandi episcopus suae nationis².

¹ Ex Regest. in Secret. Brev.

² Facultas metropolitanae Ruthenorum concessa legitur in tomo praeced., pag. 250, et Brevi initium est: *Decet*.

Paulus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Provisionis nostrae debet provenire subsidio, ut ius suum cuilibet conservetur. Exordium.

§ 1. Hinc est, quod nos tenorem quarundam litterarum felicitis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri in registro ipsius praedecessoris repertum, pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Iosephi moderni archiepiscopi metropolitae Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae petitio continebat, ipse harum tenorem, et ex certis causis, sicut asserit, indiget de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, et ad ipsius Iosephi archiepiscopi nobis propterea supplicantis instantiam, praesentibus annotari fecimus, qui est talis: Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Decet, etc. (*Caetera omittuntur: legere enim est loco citato in notâ ad rubricam*).

§ 2. Caeterum, ut earumdem litterarum tenor praedictus sic insertus omnimodum rei ac facti certitudinem faciat,

Litteris sic
exemplatis cre-
ditur Paulus.

Ioseph metropoli-
ta transcribi
confirmarique
Clementis litte-
ras petit.